

fulgere, quæ merito omnium in se oculos convertant. Sess. XXV. Ref. cap. I. Qua de re testamenta Clericorum de Ecclesiasticis proventibus in profanos usus, licet propter odia litium in foro contentioso, non reprobentur, qui tamen ita disponunt ab injustitia immunes non erunt, dum bona Ecclesiastica contra ipsorum naturam profundunt. Igitur Canones, quibus vetantur, Clerici de bonis Ecclesiasticis in usus profanos, vel in favorem consanguineorum disponere, absit, ut etiamnum non obligent. Nemo se seducat, Deus non irridetur. Ita Christianus Lupus apud Espenium *Part. II. Tit. XXXII. cap. VII. n. 32.*

(**) XV. Hispaniæ Ecclesia nihil intentatum reliquit, ut Clericos à ditandis supremis tabulis ex Ecclesiæ bonis cognatos deterreret. Ad rem Syn. Tolet. II. Can. IV. *Si quis Clericorum agellos, aut vineolas in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat; verum post suum de hac luce discessum, juxta priorum Canonum Constitutiones, jus suum Ecclesiæ sancte restituat, nec testamentario, aut successorio jure cuiquam hæredum, pro hæredumve relinquat.* Synod. Valent. an. 546. *Can. III.* constituit, ne Episcopi defuncti propinqui quicquam de ipsius rebus acciperent, ne forte simul cum patrimonialibus, bona etiam Ecclesiæ tollerent. Tolet. IX. *Can. IV. et VII.* Episcopis injunxit, ut Ecclesiæ bona à propriis ipsorum bonis segregata haberent. Syn. Vallis-olet. *Cap. VI.* ita decrevit: *Qui vero (Beneficiarius) de bonis Ecclesiasticis filiis, aut nepotibus dotem, aut donationem propter nuptias adsignaverit, adsignatio ipso jure non valeat. . . . Item in Religiosis militaribus exemtis, et non exemptis penitus observetur.* Verùm quum à sæculo VI. Clericis indultum sit, de bonis, vel donatione, vel testamento, vel industria acquisitis extremas conscribere tabulas, ut inquit Syn. Valent. et Tolet. IX. præf. Canonibus, hinc consuetudine etiam invecum est, ut Clerici omnes de quibuslibet suis bonis sine discrimine testarentur. Id quod probasse videntur *Lex XII. Tit. II. Lib. IV. For. Jud.* Syn. Dertus. an. 1419. *Cap. XVIII.* et secutis temporibus Carolus V. ac Philippus II. *Leg. XIII. Tit. VIII. Lib. V. Novæ Recop.* Denique licet Episcopi olim ex Sedis Apostolicæ privilegio, testarentur; novissimi verò Concordati *Art. VIII.* omnis hujusmodi impetrandi indulta spes sublata est. (*)

TRACTATUS SECUNDI FINIS.

TRACTATUS TERTIUS.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Ecclesiasticæ jam hinc Jurisdictionis amplitudinem, judiciorum formam, necnon criminum, pœnarumque discrimen, et conditionem peragemus: quæ sanè Institutionum nostrarum pars, omnium licet postrema ordine, difficultate tamen, et pondere præstare censenda est reliquis omnibus, quas hactenus prosecuti sumus. Quum enim maximè interest divinæ istius societatis, quæ in cœlis radices agit, propriam in jure dicendo potestatem cognoscere; tum verò ipsius potestatis indolem, characteres, et confinia statuere, periculosæ plenum opus aleæ semper à viris vel sapientissimis habitum est. Nos pro instituti nostri ratione veterem, recentioreque Ecclesiæ disciplinam investigantes, quid juris olim obtinuerit, quid hodie in judiciis Ecclesiasticis obtineat pro virili distincte, et dilucide enucleabimus. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

DE POTESTATE EPISCOPORUM IN AUDIENDIS, ET DECIDENDIS CAUSSIS SECULARIBUS.

I. Atqui et spiritualis hæc externi fori jurisdictionis in causa fuit, cur temporalis etiam quædam in Ecclesia exurgeret Potestas, et quidem Religionis intuitu. Profecto jam indè ab ævo Apostolico vetabantur Christiani Ethnicorum fora adire, si quæ lites eos exagitarent, sed potius fideles arbitros constituere, et ad eos suas causas deferre jubebantur. Hinc S. Paulus *I. ad Corinth. VI.* veluti crimen vertit Corinthiis, quod suas causas Ethnicorum foris dijudicandas deferrent: *¶ Audet aliquis vestrum, inquit, habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? an nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. ¶ Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis secularia. Secularia quidem judicia si habueritis, contentibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Præterea hoc passim repetitum in veteribus Ecclesiæ sanctionibus occurrit. Sic Auctor Constitutionum Apostolicæ II. 45. *Et ne adeat ad judicium gentilium: imo ne patiamini, ut seculares magistratus de causis vestris judicent.* Et ibid. cap. seq. *Ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant.*

II. Profecto nobis colligere datur, non alia de causa ab Apostolo primum, dein et ab aliis Episcopis interdictum fidelibus suas lites ad Ethnicorum fora definiendas deferre, nisi quod hoc sanctissimis illis Christianæ Religionis antesignanis in Ecclesiæ dedecus redundare videretur: præbebatur enim Ethnicis occasio minus habendi christianos, utpote inter quos quotidie lites exorirentur, quum se charitatis, et fraternitatis lege constringi palam prædicarent. Fideles igitur, ubi inter se lites emergebant, ex suorum numero unanimi consensione quos aptiores putabant, Episcopos ut plurimum, Arbitros constituebant, quorum sententia lite di-

judicata, et composita, remotis jurgiis, contentionibus, conviciis, pacati discedebant. Vere aurea Christianæ Religionis Epochæ!

III. Apage tamen credas Apostolum per vocem *contemptibiles* revera ineptos, ac vilis farinæ homines litium arbitros velle; at magis vocem illam comparative usurpasse dicendus est: docens scilicet eos, qui minimi in Ecclesia habentur, et ad majora ejusdem ministeria inæpti reputantur, aptiores longe esse Ethnicis ad fidei dissidia componenda.

IV. Verùm quod Episcopus supra omnes Apostolus spectarit, vel ex ipsius verbis colligere par est. Quid enim sibi volunt verba illa: *¿Nescitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis secularia.* Ex quibus Augustinus infert Serm. XXIV. in Ps. 118. *Constituit talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare christianos.* Et in Lib. de Oper. Monach. cap. 29. *Quibus nos molestiis afflicti Apostolus non utique suo, sed ejus, qui in ipso loquebatur, arbitrio, quas tamen ipsum perperum fuisse non legimus.* At de hoc Capite susius in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

V. Jam verò hanc Episcoporum potestatem tam longe abest, ut Christiani Imperatores interdicerent, aut imminuerent; quin etiam perspicientes magnum, quod indè in imperium profluebat, emolumentum, suis legibus illam confirmare, ac tueri voluerunt. Quod patet ex Eusebio de Vit. Const. *Lib. IV. cap. 27.* et ex Sozomeno *Lib. I. cap. 9.* qui referunt Constantinum M. 1. libenter contententibus concessisse ad Episcoporum arbitrium se referre, quum civilium Magistratum Judicio stare nolent. 2. Præcepisse Episcoporum sententias æque ratas, et ineluctabiles esse, ac si ab ipso proferrentur Imperatore. 3. Provinciarum Rectoribus, aliisque ministris demandasse, ut quam citius Episcoporum sententias exsequerentur.

VI. Porro hoc ex lege Arcadii, et Honorii *Cod. Justin. Lib. I. Tit. IV. et VII.* ita intelligas: 1. Ubi uterque litigantium libenti animo Episcopali judicio stare non dissentiret: 2. Ubi essent causæ merè civiles, non verò criminales: in his enim non modo per leges Imperatorias, verùm et per Ecclesiæ Canones Episcopi vetebantur, quominus Judicium loco seligi possent.

VII. Adhæc porro quum Episcoporum in hisce charitatis officiis exercendis summa fides, atque eximia probitas, et prudentia eluceret, ac propterea summo in pretio apud Imperatores essent, hinc factum est, ut plurima civilia negotia ipsis pertractanda iidem Imperatores crediderint: uti e. g. in curatoribus furioso dandis, in exceptione non numeratæ pecuniæ creditori absentis manifestanda, in carceribus visendis, in tuendis expositis infantibus, aliisque personis egenis, in aleatoribus coercendis, in scenicarum mulierum libidine cohibenda, atque id genus alia: *Lib. I. Cod. Just. Tit. IV.* Quum tamen ita hæc omnia peragerent, ut potius ad pietatis sanctimoniam, morumque integritatem suæ curæ commissos restituerent, quam ut physicam coactionem exercerent: eam ob rem eorum in hisce causis potestas *Audientia Episcopalis* dicta fuit: Gothofr. in *Cod. Theodos. Tit. de Episc. &c.*

(**) VIII. Ergo in Hispania nostra à tempore scilicet quo Gotthi Catholicam Religionem amplexi sunt, tanta fuit inter Sacerdotium, et Imperium concordia, ut nec Episcopi præscriptos à Principe Canones constituere, nec Reges ipsi ad ferendas pro regimine populi Constitutiones Episcopos sibi adsciscere dedignati fuerint. Porro Reccaredus ipse, post ejuratam Arianam hæresim, decernendum voluit à Patribus Concilii Tolet. III. quod Symbolum fidei inter Missarum sollempnia ad Orientalium Ecclesiarum exemplum caneretur; cujus quidem pietatem æmulati,

qui sequuti sunt Reges, condendorum Canonum *Tomum* in Conciliis proferre consueverant. Et eadem Syn. Tolet. III. ejusdem Reccaredi consentiente clementia sancivit *Can. XIV.* ne Judæi publicis officiis præficerentur; id quod agente potissimum Sisenando confirmavit Syn. Tolet. IV. *Can. LXV.* alias *LXIV.* Imò sequutis temporibus moribus inductum est, ut coactis à Regibus Episcoporum, et Procerum Conventibus, nedum de Ecclesiastica reformanda disciplina, sed et de Principis electione, de honore officii Palatini Viris debito, et de infimæ plebis coercendis excessibus ageretur. (*)

(**) IX. Fortunata hæc utriusque Potestatis concordia, irruentibus Saracenis extincta sæculo IX. reviviscere visa est. Unde in Syn. Oveten. sub Alphonso III. an. circiter 873. in Legion. sub Alphonso VI. an. 1012. in Cojacen. sub Ferdinando, et Sanctia an. 1050. in Oveten. sub Urraca, ejusque Filiis, et Sororibus, ipsarumque Filiis an. 1115. in Palent. sub Alphonso VII. an. 1129. Episcopis, Abbatibus, et Illustribus Viris undique collectis, Canones constituti sunt ad Ecclesie simul, et populi negotia spectantes. Quocirca præf. Syn. Legion. *Cap. VI.* decrevit, quod *judicato Ecclesiæ Judicio, agatur causa Regis, deinde populorum.* Et Compostell. an. 1114. *Cap. XIV.* quod omnis causa *in presentia Pontificis, Judicium, et Canonicorum intimetur, et definiatur.* (*)

(**) X. Porro Hispaniarum Patres, Apostoli doctrinam sequentes, quotidiana laicorum jurgia discutiebant; terminabant. Inter hæc verò præcipua eorum cura erat, ut divites si quid adversus pauperum, viduarum, aut orphanorum bona molirentur, coercerent. Syn. Tolet. I. *Can. XI.* et Tolet. IV. *Can. XXXII.* alias *XXXI.* At ne indè colligas, Patres nostros sese hujusmodi causis quasi Judices immiscuisse. Episcopi illi uti Pastores populi decebat, non nisi ut compescerent simultates, vitarentque litigantium odia, arbitratorum more, piis, et Evangelicis exhortationibus frequentia laicorum dissidia terminanda suscipiebant; qui si nihil proficerent, sæculare judicium adeundum erat, *ut quos Sacerdotalis admonitio non flectebat ad justitiam, Regalis Potestas ab improbitate coerceret:* Syn. Tolet. præfat. *Can. XXXII.* Quin et si quæ in laicorum bonis decernenda esset ab Episcopo coactio, *Regii exsecutoris instantia* peragenda erat: Ead. Syn. Tolet. IV. *Can. III.* (*)

(**) XI. Hæc judicandi methodus quum sæculari Potestati nedum non offenderet, quin potius præstantissimum esset cavendis criminibus remedium, piissimi Reges animadverterent, tantum abest, ut eam improbarent, quin et ipsi quandoque Reges Episcopos hujusmodi cognoscendis causis Judices constituerent: Syn. Tolet. IV. *Can. XXXI.* al. *XXX.* Unde quum in quibusdam Hispaniæ partibus parentes nonnulli humanitatem exuti, filios, ut liberius libidini inservirent, interimere non perhorrescerent, Reccaredus Judicibus injunxit, *ut hoc horrendum facinus cum Sacerdote perquirent, et adhibita severitate cohiberent:* Synod. Tolet. III. *Can. XVII.* Revesvinthus quoque decrevit, ut ab injuria à Judicibus illata, ad Episcopum provocari posset, qui coacto aliorum Episcoporum, et Nobilium Conventu, cogeret judicem sententiam emendare; quo renuente, Episcopus posset per semetipsum sententiam ferre: *Leg. XXXVIII. Tit. I. Lib. I. Fori Judic.* Quam quidem confirmasse videtur Syn. Tolet. IV. *Can. III.* *Omnes, qui causas adversus Episcopos, aut Judices, aut Potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad eundem, Concilium concurrunt.* Postremo Ervigius in Syn. Tolet. XIII. *Can. II.* constituit, ut in nullum ex Palatini ordinis Viris animadverti posset, nisi is *in publica Sacerdotum, Seniorum, atque Gardingorum discussione reductus, et justissime perquisitus, aut obnoxius reatui detectæ culpæ Le-*

gum penas excipiat, aut innoxius iudicio omnium comprobatus adpareat. (*) (**)

XII. Hæc Episcoporum potestas in laicorum dijudicandis caussis obtinuisse adhuc sæculis XI. et XII. colligimus ex præf. Syn. Legion. *Can. VI.* et Palent. *Cap. XI.* At sæculo XIII. mutata est Ecclesiæ facies; Reges enim licet Comitibus ex utriusque Ordinis hominibus congesta habere consueverint, Ecclesia tamen suos sola Conventus celebrare cepit, uti Synodum Penna-fidelensem an. 1302. Vallis-oletanam an. 1322. &c. Tum Collectio Decretalium Gregorii IX. ad Civilis Juris exemplum adornata, Partitarum Codex ad præscriptum ejusdem Collectionis digestus, frequens Legatorum cum amplissimis facultatibus adventus, hæc in caussa fuere, quod Ecclesiæ Forum à civili penitus discerneretur, ita ut Guillelmus Episcopus Sabinensis, et Apostolicæ Sedis Legatus in præfat. Synod. Vallis-olet. *Cap. III.* adserere non dubitaverit *Ecclesiastica Jurisdictio, a seculari distincta dignoscitur.* Igitur inductis sæculo XIII. Gregorii IX. et Partitarum Codicibus Episcoporum in caussis sæcularibus potestas, abolita est, ita ut Alphonsus XI. laicis inhibuerit, ut in caussis profanis Ecclesiasticis se sisterent Judicibus: *Leg. X. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop.* Et ut nullus ipsis remaneret locus se profanis laicorum litibus immiscendi, juramenta in contractibus mere temporalibus interponi vetuit: *Leg. XI. ejusd.* Atque ideò fortassis constitutum est, quoniam Episcoporum Tribunalia, relicta primigenia, ac simplici iudicandi methodo, novas quoque ac prolixas, ut ita dicamus, sollemnitates amplexa sunt. (*)

XIII. Quod verò ad caussas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur deprecatoris vicem apud civilem Magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, et illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, et Augustinus functi sunt. Paullinus in *Vita Ambros.* Augustinus *Epist. 159. Syn. Sardicensis Can. VII.* Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrocinium suscepisse, ut publicæ Justitiæ viam obstruerent; at verò duabus potissimum de caussis. 1. Ut deleverint notam illam nimie crudelitatis, quam christianis persæpe gentiles inurere studuerant, omnibus significantes Ecclesiam, utpote piam parentem à sanguine, et nece licet improborum abhorrere. 2. Ut miseri, et male conciliati illi, qui capite plectendi erant, mortem vitantes suum ævum producerent, et laboriosis pœnitentiæ operibus sua crimina possent expiare. (**)

In hisce etiam criminalibus caussis Episcopi Hispaniæ vetabantur esse iudices: Syn. Tarracon. *Can. IV.* Emerit. *Can. XV.* et Tolet. *XI. Can. VI.* præsertim quando crimen capitis sententia dignum censeretur: Syn. Tolet. *III. Can. XVII.* In eo tantum casu poterant, quum *jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur,* uti decrevit Syn. Tolet. *IV. præf. Can. XXXI.* Mansuetudo quippe à Christo Sacerdotibus commendata, adeo alte Patrum nostrorum mentibus insederat, ut eos ab effusione sanguinis abstererent omninò; unde Patres Syn. Tolet. *IV.* omnes num. 69. Sisenandum exorarunt, ut in capitis sententia ferenda, servata in offensis mansuetudine, non severitas magis, quam indulgentia polleret. Videsis *Can. LXXXV. §. Te quoque. (*)*

XIV. Sed hic animalvertere abs re non erit ex Ambrosio de *Officiis Lib. III. cap. 9.* Episcopos in caussis civilibus, ac præsertim pecuniariis, nunquam apud Judices precatos accessisse; cujus rei satis idoneam profert rationem his verbis: *In caussis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter ledatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur.*

CAPUT SECUNDUM.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA SPECIATIM, AC PRÆCIPUE DE CLERICORUM A JUDICIBUS SÆCULARIBUS IMMUNITATE.

I. Quùm tanta fuerit Episcoporum in caussis laicorum potestas, quanta se fuisse credenda est, quam in Clericos exercebant? Ita sane. Id quod ut manifestius, et dilucidius adpareat quidquid hoc de capite primum Ecclesiastici Canonones, dein et Leges Imperatoriæ efferant distincte simul, et fideliter exhibebimus. Sit igitur primo.

ARTICULUS I.

DE CLERICORUM IN CAUSSIS ECCLESIASTICIS IMMUNITATE.

II. Ecclesiasticis sanctionibus vetitum Clericis vel antiquitus fuit ad laicorum tribunal consistere, ordinemque suum veluti contemptui aliorum exponere. Quamobrem 1. in Concilio Nicæno *Can. V.* sancitur quotannis in qualibet Provincia bis oportere Episcopos in Synodum congregari ad Clericorum caussas dijudicandas.

2. Concilium Cpolititanum I. *Can. VI.* *Sed si nonnulli... dicant se habere aliquas adversus Episcopum criminationes; eos jubet S. Synodus primum quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi... Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intenta sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Dioceseos.*

3. Concilium Chalced. *Can. VIII.* pœnis etiam canonicis in Clericos illos animadvertendum decrevit, qui *lites suas, proprio Episcopo posthabito, ad secularia fora deferrent.* Constituta pœna non equidem levis fuit; erat enim dignitatis amissio, uti patet ex Concil. Carthag. *III. Can. IX.* quo statuitur, *ut quisquis Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, vel aliorum Clericorum, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis, sive sæcularibus judiciis contendit, etiamsi pro ipso lata fuerit sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali iudicio. In civili perdat, quod evicit, si locum obtinere maluerit.*

4. Idem jam sanxerat Concilium Carthag. I. *Can. XI.* *Clerici, qui superbi, vel contumeliosi sunt, coerceantur... Unde si quis tumidus, vel contumeliosus extiterit in majorem natu, vel aliquam causam habuerit a tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur, Presbyter a sex, si Episcopus a duodecim.*

5. Idem quoque præscripsere Concilium Carthagin. *IV. Can. IX.* *Discordantes Clericos Episcopus, vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes Synodus per audientiam damnet.*

6. Innocentius I. *Epist. ad Victricium Rothomag. Cap. 3.* *Si quæ autem caussa, vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur.*

7. Concilium Tolet. *III. Can. XIII.* vetantur Clerici conclericos suos suo neglecto Pontifice ad judicia publica pertrahere: dein subjungitur: *Si quis hoc facere præsumserit, et causam perdat et a communione efficiatur extraneus.*

8. Concilium Parisiense an. 615. *Nullus Judicium neque presbyterum, neque diaconum, neque clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ, sine licentiâ alias scien-*